

jam in species, videbimus, sumto initio à spiritu naturali, qui in generatione primus habetur, & maximè in dubium vocatur.

De spiri-  
tu natu-  
rali.

Plurimi enim negant Epar peculiarem aliquem in reliquas partes influentem spiritum gignere, spiritumque, qui Naturalis vocatur, nullum esse censent. Galenus ipse hac de re dubitasse videtur. Nam postquam, *lib. 12. meth. med. cap. 5.* spiritum animale & vitalem enumerasset, dubius quasi de spiritu naturali hæc addit: *Quod si naturalis quoque, aliquis spiritus est, utique is quoque in jecinore & venis continebitur.* Etsi verò non planè rejiciendus sit hic spiritus, neque eo animal, ut jam dicitur, carere possit: tamen in eo doctiores Medici plerique consentiunt, non parvam esse inter hunc spiritum & reliquos differentiam, nomenque spiritus ita propriè, ut reliquis, spiritui naturali nõ competere: cum neque ita subtilis & tenuis sit, ut reliqui, sed crassior; neque, quod officium à quibusdam spiritibus adscribitur, sit vinculum animæ cum corpore, neque actionis & facultatis proximum instrumentum. Naturalis enim facultas, omnibus partibus insita, insito vitalique influente solùm spiritu ad suas actiones utitur. Itaque etiam in epate, etsi nulla in eo sit cavitas & sinus, generari potest. Sinus enim ea de causa in partibus constituuntur, quarum spiritus sunt tenuiores & copiosiores, ac confertim semper præsto esse de-

Qua ra-  
tione spi-  
ritus na-  
turalis à  
reliquis  
spiritibus  
non dif-  
ferat.

bent. Spiritus verò naturalis influens ob crassitiem tardius resolvitur; ideoque non opus est, ut copiosius influat. Quapropter in venis quoque, etsi non ita densæ sint, ut arteriæ, facile, ne dissipetur, contineri potest. Spiritus verò nomen ea ratione saltem ipsi competit, quatenus est tenuior & spirituosior sanguinis pars, seu corpus tenuius & subtilius ex sanguinis *ἀερώσει* seu sanguinis vaporosa & spirituosa parte genitum. Usus autem & necessitas generationis hujus spiritus ex eo patet, quod necessariò corporis nostri partibus spirituosissimum præbere, & præterea materiam spiritibus vitalibus suppeditare debet. Cùm enim omnibus corporis nostri partibus sua debeatur instauratio, suumque alimentum: etiam spiritus singulis corporis nostri partibus insitus instauratio indiget. Est vero Epatis hoc munus omnibus partibus solidis, carnosiss & spirituosiss, alimentum conficere, atque adeo etiam aliquid, quo partes spirituosæ instaurantur, hunc scilicet spiritum naturalem præparare. Neque hoc officium spiritui vitali deferri potest. Sunt enim distincta hac in re horum spirituum officia: naturalis materiam, qua partes nostri corporis spirituosæ reficiantur, suppeditat: vitalis verò calorem fovet & instaurat.

Deinde spiritus hic materiam quoque spiritibus vitalibus generandis subministrat: ejusque proin-

F de

Usus &  
necessi-  
tas spi-  
ritus na-  
turalis.